

CANCELL\*  
MARTIS B\*\*  
1718\*



IX. B. 5. 100

53.

~~X. 5. 100~~

XXXIII. 9. a

C. D.  
DE  
LEGATIS  
PRIMI ORDINIS

Bon  
*Besanten des Ersten Rangs!*

*Autoritate*

MAGNIFICÆ FACVLTATIS IVRIDICÆ,  
PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO, Jcto,

Confiliario Saxonico, Codicis, Juris Publici & Feudalium  
Professore Ordinario, Curia Provincialis & Collegiorum  
Juridicorum Assesore,

PRO LICENTIA

*Summum in Utroque Jure Gradum*

Dignitates ac privilegia Doctoralia  
consequendi

IN JCTORVM AUDITORIO

*horis ante & pomeridianis*

D. 12. Febr. 1692.

*disputabit*

TOBIAS SVTORIVS,

Römhilda-Francus,

Illustris Regiminis Saxo-Hilperhusani Advocatus  
Ordinarius designatus.

IE N Æ, Typis PAULI EHRICHII. 1711.



*A Leurs Alteses Serenisimes,  
Messeigneurs,*

**HENRY & ERNEST,  
FRERES,**

**Ducs de Saxe, de Juliers, de Cleves, de  
Mons, meme d'Engrie & de Westphalie, Landgraves d'Thu-  
ringe, Margraves de Misnie, Princes de Henneberg, Com-  
tes de la Marche & de Ravensberg, Seigneurs  
de Ravenstein.**

*Messeigneurs,*

**C***est une offrande de peu de valeur,  
que je mets avec tout le respect pos-  
sible & imaginable aux pieds de Vos  
Alteses Serenisimes, vous temoignant,*  
com-

combien je vous suis obligé de mille graces, dont il vous a plu me combler, depuis le commencement de mes etudes jusqu'à present. Je suis heureux d'avoir trouvé de si grans & si magnifiques Princes, qui tachent de rendre les Musés recommandables par leurs liberalités & leur protection. Il faut, que j'avoue, que vos ineffables bontés m'ont mis en état de pouvoir employer mes soins aux services de Vos Alteſſes Sereniſſimes, de la Republique & de ma patrie; je veus dire de la gloire, que vous vous êtes acquise par l'affection, que vous portes aux savans & par Vos actions heroiques, qui sont connues meme aux ennemis de nôtre Empire. Mais ma plume n'est pas suffisante de les elever, comme elles meritent. Toutesfois Vos Alteſſes Sereniſſimes me permettront de dire seulement, que tout le monde admirent Vos Vertus, & qu'il n'y a

A 2

per-

personne, qui ne vous donne les louanges  
d' aussi bons Regens, que d' excellens Ca-  
pitaines & de bons Soldats. Au reste j' espe-  
re, que Vos Alteses Serenissimes m' accor-  
deront de me joindre aux voeus, que tous  
vos sujets font au ciel pour Vos Santés &  
la prosperité de Vos armes selon Vos sou-  
hairs, & qu' elles me donneront la liberté  
de porter toute ma vie avec un tres pro-  
fond respect le titre, que j' affecte le plus  
au monde

de Vos Alteses Serenissimes

*Le plus humble, le plus obeissant & le plus  
Fidèle Serviteur & Sujet*

TOBIE SUTORIVS.

I.N.D.


**M**ateriam juris publici, quod sine notitia privati ab-  
solvi nequit, tractare aggressus sum, in speciem  
notissimam, ad rem verò maximè arduam. Fateor  
equidem in meis viribus haud esse, pro merito de  
legatis primi ordinis scribere; tentavi tamen tata quadam  
principia huc applicare, & quidem eorum, qui publica no-  
runt, & doctrina & experientia adjuti, quos ego Præcepto-  
res veneror. Plurimum certè refert, quem hinc Doctorem  
elegeris. In Scholis multi nil nisi publica crepant, jucunda  
sanè & spetiosa. Invenias tamen Differentes, à quibus vix do-  
ctior abeas, quàm eos compellaveris; imò redibis nonnunquã  
imprudencior & confusior, si benè attenderis. Sunt, qui quan-  
do de Principum jure disserere incipiunt, pergunt ad geo-  
graphica & tandem desinunt in historia literaria. Hos seque-  
re & miscellanea inde tibi collige, sic sapias. Quò tempore  
Camera Imperialis cœperit, quando collegium Electorale,  
an nostrum imperium sit quarta illa & ultima monarchia a-  
liaque egregia scilicet, anxie proponunt, ad rem si veniant, va-  
pulant. Inde quibus Academiæ salutis curæ cordique est,  
saluberrimè constituerunt, ut hæc professio non promiscuè,  
sed illis, qui rerum usu sunt periti, maximè Senioribus in  
facultate juridica committatur. Constitutiones à Serenissimis  
Nutritoribus ad Salanam nostram hunc in finem emissas re-  
fert Magnificus Dominus Præses in programmate, quod lec-  
tioni juris publici initium hujus professionis sibi delatæ  
præmisit. Pauca hæc, Benevole Lector, præfationis loco sun-  
to. Si intentionem meam perspectam habes, æquum abs te  
expecto judicium. Meum non est, opus omnibus numeris ab-  
solutum dare, his addas & lima mordacius utaris, licet. Deus  
interim cœptis adspiret, cujus gratiam devotis precibus im-  
ploro.

SECTIO I.  
DE  
LEGATIS IN GENERE.

SVMMARIA.

I. *Ad quodnam jus Legationes referantur.* II. *Necessitas Legationum.* III. *Cautio in eligendis Legatis adhibenda.* IV. *Quisnam hoc munere dignus.* V. *Nominalia.* VI. *Definitio Legati generalis.*

§. I.



D jus Gentium propriè sic dictum , quod omnium populorum necessitatem ac utilitatem respicit, Legationes referri, communis est doctorum traditio, qui opinantur, rerum dominia, ( quorum acquirendorum facultatem tantum Deus Adamo concessit ) & omnia, quæ ex necessitate composita sive discursiva innotuerunt, juri Gentium tribui. Exclamant hûc pertinere bella, judicia & id genus alia malitiæ & indigentia humanæ remedia. Rectius tamen hac in se spectata ad jus naturæ, quod aliàs jus Gentium primævum appellari consuevit, referri statuis, si consideras rem simpliciter talem & varios modos ipsi rei per Gentes superadditos.

§. II. Distinctis Regnis & summa potestate, quæ parentibus præsist, constituta, negotia varia inter gentes interceserunt, ad quæ expedienda opus fuit, ut mitterentur personæ representantes illum, qui τὸ κοινόν habet in Republica. Sunt enim quædam negotia, quæ literis tractari nequeunt, nec semper consultum est, ipsos Principes ejusmodi occasionibus se sistere, ut illud Camerar. in horis succisiv. cent. III. cap. 43. pluribus ostendit. Munus regium Hopperus de Institut.



*stitut. Princip.* architectonicum vocat, sic, ut non tam ipse agat, quàm aliis agentibus præsideat. Itanè, inquis, diademata arce aut carcere includenda? Minimè. Hoc tantum dicimus, illa in alienis regnis negotiari majestati minùs convenire. Colloqui sæpe collidi est. Cum stellis Principes confert Fred. Marselaër. *libr. 1. de legat. disert. 4.* quæ si extra sphæram suam dimoverentur, lucem suam amissuras credile est.

§. III. Legatorum itaque munus summè necessarium esse ad oculum patet. Quantum verò in eo obeundo necessitatis, tantum & difficultatis. Mittuntur enim hunc præcipuè in finem, ut de maximi momenti negotiis ad Rempublicam spectantibus agant. Et cum aliàs Principes oporteat, ministris ad omnia requisita idoneos constituere, quorum actiones prudentes ipsi gloriam conciliant, contrariæ verò eorum famam obscurant. vid. Mariana *de reg. instit. L. 3. c. 1.* Multo major prudentia requiritur in eligendo Legato, quod rectè comprobatur le parfait Ambassadeur, traduit par le Sieur Lancelot, qui Regnum, quod in eligendo Legato peccat, omnium infelicissimum pronunciat. Unde malè audit Ludovicus XI. Rex Franciæ, quando sartorem pro feciali, Medicum pro Cancellario & tonsorem pro Legato habuit. Irrisus propterea à Maria Belgii Principe, quæ tonsorem istum Olivarium ad se missum ægre admodum ferens rogabat, quid sibi cum Chirurgo rei esset, cum nulla ægritudo corpus incommodet, res oportere malo in loco sitas esse, si manu chirurgi tractandæ forent. Ad summam legationum infelicitas innumera progignit mala. vid. Carol Paschal in *Legat. suo cap. 18.*

§. IV. Non omnes proinde digni sunt, qui hoc munus ambiunt, nec omnes ambiunt, qui digni habentur. Uti autem nullus mortalium, ita nullus inter ministros Principis

pis sine vitis deprehenditur. Optimè legati munus sustinet, qui minimis urgetur, multis contra virtutibus splendet. De virtutibus tam intellectualibus quàm moralibus itemque corporis dotibus, quæ hunc ornant, paginam hîc reple non est animus, de his, si placet, adeas libros politicos. *vid. Daniel. Clasen. in Compend. Politic. c. IX. T. D. à Winsheim in polit. obser. c. XI. ipsumque Freder. Marselaër. de Legatis lib. I.*

§. V. Instituti ratio non patitur diutius hîc nominalibus inhærere, sufficiat pauca de his in medium protulisse. Legatus dicitur à legando, quod mittatur ab uno ad alterum Freder. Marselaër *de Legat. lib. 1. dissert. 2.* vel etiam à legendo sive eligendo, *vid. Varro lib. 4. de lingv. latin.* Sumitur interdum pro ministro verbi divini Ephel. 6. vers. 20. quandoque pro bellico duce, aliquando pro vicario summi Principis. Dicuntur aliàs oratores, nuncii, imo generali legatorum nomine exprimuntur omnes, qui ad classem legatorum secundi ordinis spectant, de quibus infra. *vid. Gockelius de majestat. legatorum jure thes. 2.* Quid primus, quid ordo significet, in vulgus notum est. Germanicè legatus audit *Gesanter / Abgesanter / Botschaffter / Gewalthaber / Abgeordneter / Geschickter / Sendbot.* *vid. Dominus Gockelius dict. loc.* Quanquam me non lateat, has voces inter se multum differre. Vocabulum Rang Germani à Gallis mutuati sunt, quod respondet voci *Reihe / Reige* sive *Riege*. Hinc dicimus: *Er hat den Rang* i. e. *Præcedit.* item *nach dem Rang gehen* i. e. *ordinem in ambulatione servare.* *vid. der Spate in Lexic. German. p. 1586. sub voce Reigung.*

§. VI. In genere describi petest Legatus, quod sit minister publicus missus ab eo, qui potestatem mittendi habet. Rejjicitur itaque illa definitio generalis à Fürstenerio *de supremat. cap. 6.* adducta. Multi enim legati in hac significatione gene-

generali securitatem suam non ex Gentium jure, sed potius ex jure civili nanciscuntur, quod illustris Dn. Lynkerus in *Analect. ad Sweder. part. 2. sect. 2. c. 18. §. 12.* de Principum norrorum & aliorum immediatorum legatis ad Casarem misiss affirmat.

§. VII. Principales Legatorum divisiones sunt, quibus distinguntur in Legatos primi vel secundi ordinis. Utrique sunt vel ordinarii vel extraordinarii. Illi, quibus nullum certum negotium præfixum neque breve tempus concessum: hi, qui certa rei occasionisq; causa mittuntur. vid. Furstener. *de supremat. cap. VI.* Inter Legatos primi ordinis ordinarios & extraordinarios rectius nulla statuitur differentia, quam in rem conferatur Wiquefort de *l' ambasad. l. 1. sect. 1.* qui ita dicit: *je ne distingue point entre les ambassadeurs ordinaires & les extraordinaires, par ce qu' il n'ya point de difference essentielle entre eux &c.* & paulò post: *Je ne diray rien des uns qui ne puisse aussi être appliqué aux autres.* Secundi ordinis Legatos eos nominamus, qui mittuntur sine caractere repræsentatio, sive ab eo, qui majestatem habet, mittantur, sive ab alio simile quid usurpante. Studiò summi Principes nonnunquam mittunt secundi ordinis Legatos, si sciunt in qua aula ipsis jus præcedentiæ respectu aliorum dubium aut controversum esse. Fit illud quoque interdum sumptus lucrandi causa, & si res celeris expeditionis est, ut ceremoniæ evitentur, vel si aliàs negotia non sunt adeò grævia, ut Legato primi ordinis indigeant. Ad Legatos secundi ordinis referunt *les Envoyes* sive Ablegatos, Residentes, Agentes, sano sensu commissarios & deputatos, non verò Consules, de quibus vid. Wiquefort de *l' ambasad. l. 1. Sect. V.* Furstener. *de Supremat. c. VI.*

B

SECT. II.

SECTIO SECUNDA  
DE  
LEGATIS PRIMI ORDINIS  
IN SPECIE.  
SUMMARI A.

- I. *Definitur Legatus primi ordinis.* II. *Fundamentum legationis præcipuum in majestate ponitur.* III. *Ostenditur Fürstenerii sententiam de Legatis Principum Imperii falsis niti principis.* IV. *Ex quo Jure nostri Imperii Principes Jus legationis habeant.* V. *Legati Pontificis describuntur.*

§. I.

**L**egatum primi ordinis, qui Gallis Ambassadeur dicitur, describimus, quod sit minister publicus missus ab eo, qui majestatem vel aliud jus quæsitum habet, cum caractere representatio. Per characterem representativum intelligimus cum Fürstenerio *de supremat. Sect. VII.* Jus fruendi iisdem honoribus, quibus frueretur is, qui representatur, si præsens esset, in quantum fert ratio & consuetudo. Notanter dicitur, in quantum fert ratio & consuetudo. Representat enim legatus, quamvis primi ordinis principem non in totum, sed in tantum. Non facile cedit Princeps alterius Principis vel æqualis vel etiam dignitate superioris Legato. Sic in Imperio quoque nostro servatur, ubi Præsentes Electores Legatis absentium præferuntur, ut ut hi aliàs jus præcedentiæ habeant. Quod etiam quoad Principes receptum, ita, ut natis Principibus cedant

dant Legati absentium. vid. Schwed. *Introduct. in Jus publ. part. spec. sect. 1. c. 10. §. II.*

§. II. Fundamentum hujus legationis præcipuum ponimus in majestate, ex qua tanquam ex fonte suo jus legationis plenum promanat. Quoniam autem hodiè Electorum aliorumque Principum, maximè Italicorum Legati pro Legatis primi ordinis habentur, quorum tamen nullus majestate gaudet, ideoque addidimus in definitione, quod legatus sit missus ab eo, qui majestatem vel aliud jus quasi-rum habet, quale hoc sit, paulò infra ostenditur. Alii, ut jus mittendi Legatos primi ordinis Principibus imperii asserant, vel majestatem ipsis tribuunt, vel hoc jus ex superioritate deducere satagunt, vel plane suprematum quibusdam affingunt. Quapropter hinc exire jubetur Fürstenerius cum suo legationis fundamento, quod nil nisi suprematum crepat, cum tamen ille Imperio nostro è diametro repugnet. Equidem si attendimus definitionem suprematus, quam ille in præfatione ad lectorem dedit, tunc omninò in sano sensu tolerari posses, quippe quæ potentatum magis quàm suprematum exprimit. In ipsa verò tractatione extra spheram prolabitur & Principes Imperii inter supremos, quos Galli souverains appellant, refert. Vox suprematus, inquit, illi respondet, quam exteri vocant *la souveraineté*. Sanè Gallos ipsam majestatem hâc voce indigitare, nemo est, qui inficias ibit. Manifesta autem differentia intercedit inter personas majestaticas, & ita potentes, ut exercitum cogere & extra fines mittere possint.

§. III. Quoniam facultas mittendi Legatos ex majestate fluit & ipsi proprio jure competit, ideoque multi Doctores Juris publici, illis, quibus majestas non est, denegant potestatem mittendi ambasciadores propriè tales. Wicque-

fort quamvis hac in parte sibi ipsi non constans *libr. 1. Sect. 2.* inquit: *c'est à dire, qu'il n'y a, que les souverains, qui ne rendent pas compte de leurs actions, qui puissent employer des Ambassadeurs.* Et Huberus *de Jure Civit. c. 18. §. 1.* his utitur verbis: *Iuribus majestaticis coheret jus mittendi legatos. Tales cum hoc effectu, ut Jure Gentium sancti habeantur, nullis, quam qui verè majestatem habent, mittere licet.* vid. Dn. Gockel. *de majest. legat. jure thes. 3. 4.* Et si tu jus Gentium spectes, nil habes, quod his objicias. Hinc universalis exstruitur regula: Summus quisque Princeps vel Republica superiorem non recognoscens mittit legatos primi ordinis. Quo ad statum nostri Imperii, in quo majestas penes Cæsarem residet, Principes verò, licet majestare non gaudeant, jura tamen majestaticis similia exercent, delegatis aliquid statuere major est cautio. Imperator noster nomine & cum consensu totius Imperii legatos primi ordinis ut plurimum mittit, præcipue in negotiis bellum vel pacem concernentibus. Kulpis *de Legat. Imper. c. 5. §. 5.* In officiosa legatione, quâ aliis latum vel triste aliquid annunciat, ipse Imperator non adhibito consensu Statuum hoc jus exercet. In conventu Neomagenfi magna orta est controversia, cujus occasione recenset Fürstenerius *de Supremat. c. 2.* an Principibus Imperii nostri sit integrum primi ordinis Legatos mittere. Fürstenerius affirmativam multis rationibus undique congestis defensusurus contra Statum Imperii ejusque Leges impingit. Suprematum & per consequentiam jus legationis plenum habere Principes ubique inculcat. Quem tamen ex falsis principiis demonstrare conatur. Suprematus jure, inquit *c. 12.* præditus censetur populus liber nullique adstrictus, uti Veneti, Batavi & Helvetii. Sed quorsum hæc comparatio? Hæ enim Republicæ independenter rebus suis

fuis præfunt, & neminem nisi Deum pro iudice agnoscunt. Ast ex origine Principum inquis, optime hic Autor infert. Ita putat. At mirum, ni ab ipso Ascenaze id petere instituat. Distingue tempora & melius sapias. Principes porro nostros à criminali iudicio penitus eximi, & de feudis, si deliquerint, dejici non posse, somnia sunt. Vix est quin asserat, illud in Principes cadere: Armatus sit, quem metuum in Imperio. Hæc talia & plura effata apud eum *cap. 12. & 29.* invenies. Cui fini inservirent leges Imperii, si omnis executio frustanea esset aut planè cessaret? Detur aliquod Imperium, cui jus vitæ & necis deneges. Cur Nostro illud non competat, nulla evincit ratio. Fingas illud esse aristocraticum, recte tamen illo uteretur in singulos optimates *vid. dissert. Illustr. Dn. Lynckeri de libert. Stat. Imper. obloquuntur constitutiones Imperii. Constitutio Frider. 2. ap. Goldast. 2. der R. Satz: Fol. 22. sic habet: Wo es aber Fürsten und andern hohen Leuthen an ihr Leib / an ihr Ehr / oder Recht gehet / das wollen wir selber richten / auf die Weise / wie es in dem Reyß. Reich von alten Zeiten herkommen* Simili modo Rudolphus Habsburgicus in R. J. de Anno 1289. Wirzburgi factò, quem exhibet Lehmannus V. *Chron. Spir. c. 108. wo es gehet an yr Lip oder an yr Recht / oder an ihr Erbe oder an yr Lehen.* Item *Constit. Alberti, I. ap. Goldast. d. l. p. 27.* Eiusdem farinae sunt, quæ à libera potestate Principum in territoriis suis sumuntur argumenta. Qui statum nostri Imperii cognitum habes, potestatem illam liberam haud dixeris *vid. dissert. Dn. Lynckeri de libert. Stat. Imper. p. 6.* Ad titulos frustra provocatur. Titulum, Dei gratiâ, qui illis solum tribui dicunt, qui suprematum habent, vel uti ex Rebuffo & Chassanæ referunt, qui superiorem non agnoscunt, totâ aberrant via. Ille certe index summæ potestatis non est,

ideoque in argumentum perperam adducitur. Principes quoque ad Cæsarem scribentes hac formula, von Gottes Gnaden/abstinent.

§. IV. Verum igitur est Status Imperii, quâ tales cujusque dignitatis & potentia, ex jure majestatico & sicut illud Principes independentes habent, jus legationis sibi vindicare non posse. In Imperio nostro unam veneramur majestatem. Esse Status viribus prævalentes aliis, momentaneum est, & ad rem non pertinet. Illi membra audiunt Imperii, imò & subditi. vid. *Ordnung des Land: Fr. zu Wormbs / 1521. N. N. 1641. §. 83.* Tenentur Cæsari reverentiam exhibere & obedire legibus Imperii. Dicuntur dem Heil. Reich unterthänige und unterworfenne Stände. Absit autem à proposito nostro Statibus aliquid de jure suo detrahere, loqui tamen nos oportet secundum naturam Imperii & ad normam constitutionum res exigenda. Eximia Principes tecent jura, quanta quanta autem sunt, certè ut absoluta non valent. vid. *Dn. Lynckerus in Analect. ad Schweder. part. spec. sect. 2. c. 1. §. 14.* Nihilominus hi mittunt legatos primi ordinis, quod ex possessione, assensu Gentium & privilegio obtinuerunt, ut nunc in jus transiisse videatur. Actus possessorios suggerit *Furstenius de supremat. c. 58. & 59.* Haud officit, quod Principum legatis in quibusdam aulis solennis receptio & alia Ambasciatoribus propria vix concedantur. Quia in re difficilem admodum se semper præbuit Rex Gallia, qui tamen nunc apertò capite Principum legatos audit, ne scilicet si se tegat, id Legati quoque prætendant. Exempla affert *Furstenius c. 59. de Supremat.* Si dicendum, quod res est, nihil certi in his de finitum esse conqueruntur ministri status. Sic Rex Gallia quorundam Legatos tractat ut Ambasciatores, quibus tamen in Aula Cæsarea ille honor non habetur.



betur. Quæ controversiæ determinari nequeunt, nisi in Republ. Gentium universali, quæ certos ordinat conventus, in quibus Reges tanquam cives unius Reipubl. de communi salute gentis consultando per majora concludentes ejusmodi controversias decidunt. In qua Cæsari meritò debetur directorium. Et hujus reipubl. non tantum in politicis sed & in sacris usus esset longè maximus. In quibus Pontificem ut caput Ecclesiæ agnoscere possent Principes nostri, modò abusus illi papales ex præscripto Augustanæ Confessionis abolerentur. Hierarchia enim absolutè improbanda non est, vid. Ziegl. *de Diacon. & Diaconis. Græc. in disert. de Summo Sacerdot.* Sine his generalibus conventibus vix credibile est posse religionem diutiùs persistere, præcipuè his temporibus, ubi maxima hominum pars vel ad Epicureorum Atheismum vel ad Pharisaorum hypocrisim abripiuntur & iusto major est libertas credendi ferè cuilibet, non quod Sacra Scriptura sed perversa ratio suggerit. Hæc occasione hujus Reipubl. universalis & obiter dicta sunt.

§. IV. Quod Pontificem spectat, ille mittit legatos triplicis generis. Sunt enim vel legati à latere vel Missi vel Nati. Legati à latere sunt Cardinales tanquam ex latere P. M. & senatu sumti, qui potestate ab eodem accepta in provincias mittuntur. Forùm officium describit *Becmannus in Not. dignit. illustr. dissert. 1. §. 14. cap. 6.* His abiturientibus Papa circem porrigit, quam reversi domum illi reddunt, eam tamen in Gallia non possunt sibi præferri jubere eo in loco, ubi Rex præsens est. *vid. Furstener. cap. 7. de supremat.* De eorum potestate *vid. Wiquefort. de l'ambasfad. l. 1. sect. 10.* Missi dicuntur Nuncii Apostolici, qui in cardinalitiâ dignitate non sunt constituti & eos sedes apostolica ad publica negotia in Aulis Principum expe-

pedianda deputat. Hi prætendunt præferri Ambasciadoribus, uti in tractatibus Westphalicis Nuncius Apostolicus Comiti de Wolckenstein Legato Austriaco potiozem apud se locum negavit *vid. Furstener. c. 46. de supremat.* Talis nuncius fuit quoq; Fabius Chisius ad tractatus pacis Monasteriensis, qui tum cum Protestatibus noluit communicare, quod tamen Neomagi non recusavit Nuncius Bevila qua. *vid. Wicquef. l. 1. Sect. 22.* Legati nati dicuntur, quod nimirum eo ipso, quo Ecclesiis præficiuntur, Legati Apostolici nomen & dignitatem assequantur. Talis olim fuit Archi-Episcopus Magdeburgensis & adhuc hodie Salisburgensis. Magdeburgenses semper hoc titulo usi fuerunt, uti ex R. J. de Anno 1532. apparet: *Von Gottes Gnaden wir Albrecht der Heil. Römisch. Kirchen Priester/ Cardinal und geböhrener Legat &c.* Salsburgensis eidem Recessui de Anno 1532. tantum Legati nomine non autem nati subscripsit. Ejusmodi Legatos non solum Germania nostra sed & alia Regna habent, de quibus consulas Fred. Marselaër *l. 2. disert. 1. de Legat.*

### SECTIO III.

DE

## HIS, QVI MITTUNTUR ET AD QVÆNAM NEGOTIA.

SUMMARIA.

- I. *Quinam præcipuè in hac legatione adhibendi.*
- II. *An clerici recte fungantur hoc munere.*
- III. *Uxus ne an plures Legati mittendi & quid de peregrinis statuendum.*
- IV. *Dotes in hoc Legato necessaria recensentur.*
- V. *Varia negotia circa qua Legatus occupatur.*

§. I.

§. I. Qui ex illustri familia originem trahunt ac præclaras dotes naturales possident, præ cæteris in his legationibus adhibentur. Reges Gallia non dubitarunt sanguinis Principes, imò & ipsum Delphinum illis præficere. Wicquefort *de l'ambasfad. l. 1. Sect. 8.* nec tamen quibus generoso stemmate nasci denegatum, aditum præcludimus; modò alia qualitates id, quod de nativitate decedit, compensent. An invitus ad hoc munus cogi debeat, quaritur? Putamus & hic valere Plautinum illud: stulticia est venari invitis canibus.

§. II. Clericos quidam ab hac functione planè arcent, quod ipsis non convenit secularibus negotiis se immiscere *c. 7. X. de offic. jud. ord.* Quod tamen cum distinctione accipias. Etenim quosdam eorum admitti satius est ob varias rationes politicas. vid. *Erasm. Rot. l. 2. Ep. 16. p. 119. seq.* Quod experientiâ docemur. Sic inter Cæsareos Legatos ad tractatus Pacis Neomagensis fuit Episcopus Gurckensis. Persarum quoque Regem hunc morem servare pater ex *Olear. Persische Reisbesch. l. 4. c. 11. p. 379.* Quàm utiliter Ferdinandus Catholicus eorum opera in negotiis publicis usus sit, testatur Wicquefort *de l'ambasfad. l. 1. Sect. 9.* Contrà ab hac consuetudine abhorrent Veneti Clericos ab his negotiis removentes Wicquefort *d. l.*

§. III. An unus, an verò plures mitti debeant, pro diversitate negotiorum respondetur. Ad publicos conventus sapius uno plures mittuntur, ad Principum verò aulas plerumque unus, nisi negotium adeo grave sit, ut consultandi gratiâ adhuc quidam adjungantur, quorum unus Princeps legationis *der Haupt Gesandte* dicitur. Uni verò plures legationes magni momenti haud tutò committuntur. *Marselaer de Legat. libr. 2. dissert. 10.* An indigenæ hujus legationis capaces sint vid. Wicquefort *l. 1. Sect. 11.*

§. IV. Ut alias virtutes taceamus, in nostro Legato duo  
C  
inpri-

inprimis illa vitæ regendæ organa requirimus, Prudentiam, qua bona & mala discernimus, & Eloquentiam, qua ea suademus, quæ bona sunt, & quæ mala, dissuademus. Quibus accedat necesse est, decus in omni habitu, gestu & labore, quò ita corpus animadvertatur agere, ut anima in illo actu videatur spirare, eminere, fulgere. Quam morum pulchritudinem in Comite Magno de la garde, Magno Sveciæ Cancellario & Gallico Duce d'aignam laudat Aletophilus *in hist. mor. civil. c. 2. §. 4.* commendaremus quoque legato nostro illam scientiam, qua ex conversatione hominum intima cordis exploramus, modò ita haberi possit.

§. V. Negotia circa quæ Legatus noster versatur sunt publica apud summos Principes majestatem habentes aut his similes expedienda. Huc spectant foedera, bella, pax, induciæ, gratulationes, nuptiarum contractus & alia plura.

## SECTIO IV. DE SOLENNIBUS HUIUS LEGATIONIS.

### SUMMARIA.

- I. *Qua ratione Solennia considerentur.* II. *Qua in Legati habitu occurrant.* III. *Qua in transitu.* IV. *Qua in Adventu.* V. *Qua denique in ipso reditu.*

§. I.

**Q**uædam solennia huic legationi sunt propria, quædam cum aliis communia. Alia occurrunt in legatorum habitu,

bitu, alia in eorum transitu, alia in adventu & alia denique in ipso reditu.

§. II. Ratione abitus spectamus mandatum Instructionem & literas Credentiales. Quæ aliàs ad mandatum requiruntur, hic quoque exigimus vid. Ruland. *de Commiss. part. 1. lib. 5. c. 8.* nisi quod Principes ratificationem in eo sibi nonnunquam reservent: *Das wir in gebührender Form/ Art und Weise unsere Ratification in gehöriger Zeit einliefern wollen.* Instructio est interpretatio mandati, quæ Legato certa forma & modus præscribitur, quousque progredi possit. Quæ tanquam res secreta nemini ostendi debet etiam exposcente altera parte. Wicquefort *de l'ambassade. l. 1. Sect. 14.* Qui de ministro aliquo instructionem suam legendam dedit, ita inquit: *ce fut l'action d'un sot en toute l'estendue de la signification de cet epithete.* Mandatum contra exhibendum est, quia facultatem tractandi continet. Formulam mandati suggerit Joh. Leonh. Sauter *Nimwög. Friedens act. p. 116.* Utrumque vel generaliter concipitur vel species negotiorum enumerantur, & vel liberam vel restrictam agendi facultatem concedit. Inde quaritur, an Legatis instructionis fines excedere possit? Quod negamus, nisi Domini conditionem meliorem reddat. Speidel *in Thesaur. pract. Besold. voce ambassadeur*, modo illud fiat in negotio expressè commissio, in casibus enim non expressis, etsi Dominus bonum inde consequatur, consultius est nil agere extra limites. Literæ credentiales, quas & Creditivas vocant, Legato ideo conceduntur, ut doceatur de ejus persona & commissa qualitate, harum formulas suppeditat Theatr. *Europ. part. 8. p. 844.* Has absolute necessarias non putamus, quanquam rarò omitti soleant. Denique Legato procurantur sumtus ad necessitatem & pompam, quæ Principis auget

autoritatem & dignitatem, de ornatu præterea vestium & honesto comitatu ipsi prospiciatur vid. Daniel Clafen. *in Compend. Polit. l. 3. c. 9. n. 9. ibique in not.*

§. III. In transitu per aliena territoria modestè se gerat, nullà ostensà insolentià, neque ea intret absque literis salvi conductus, Passport / Geleits-Brieffe. Quæ interdum designant locum, per quem oportet ire & redire. Formulam earum habet Joh. Leonh. Sauter Nimwög. *Friedens act. part. 1. p. 68. seq.* Furstenerius *de suprematu. c. 57. seqq.* Principes autem non obligantur concedere saluum conductum ministris illius Principis, contra quem bellum gerunt Wicquefort *de l. ambasad. l. 1. Sect. 17.*

§. IV. In adventu Legatus illis, quorum interest, significet se advenisse, tunc ipsi obviam itur & in Gallia per Regis Fratrem aut sanguinis Principes recipitur. vid. Anonymus *in Philosophia Elegant. & Ceremon. aulic. p. 19.* quomodo Vienna recipiantur, refert Gockel. *de majest. legat. jure tb. 4.* Postea domus ipsi assignatur, lautia offeruntur & convivia instituntur. In quibusdam locis aliquando gratis aluntur, ut in Gallia, Moscovia, Turcia vid. Gockel. *de majest. legat. jure thes. 10. & 27.* His præmissis Legatus literas credentiales & mandatum juxta consuetum morem vel Secretario Status vel aliis ministris exhibet Wicquefort *de l. ambasad. l. 1. sect. 15.* Quando exteri ad imperium nostrum Legatos mittunt, binas literas credentiales, unas aulæ Cæsareæ, alteras Moguntinæ Cancellariæ tradunt, plura hac de re vid. apud Gockel. *de majest. legat. jure tb. 4.* Advenientem legati alii visitant, quos deinde adveniens reciproca visitatione dignatur, unde *visiten & revisiten* dicuntur. In visitatione visitans in aditu adium excipitur, & datur ipsi honoration locus seque invicem titulo Excellentie honorant. Furstenerius *de suprematu cap. 8.* quem tamen Principes Legatis non tribuunt neque Respublicæ,

ca, exceptâ Batavâ. vid. Anonym. in *Philosoph. Elegant. & Ceremon. aulic.* p. 21. Ad audientiam Legati tribus te jugibus rehdis vehuntur concomitantibus eos præcipuis Principis ministris. Quandoque Commissarii ipsis dantur, cum quibus tractent, omisâ audientia publica, quin illi, qui ad publicos conventus mittuntur, non possunt prætere audientiam, sed literas credenciales mediatoribus aut ministris, cum quibus ipsis est negotium, ostendunt. Wicquefort *d. l' ambasad. l. 1. Sect. 19.* In illis locis, ubi multam tribuitur ceremoniis, qualis est aula Romana & Gallica, ut & alibi, certæ personæ his solemnibus præsunt, quas introductores & magistros ceremoniarum vocant. In ipsa audientia idiomate Principali suo nativo Legati utuntur, quod & Veteres Romani observarunt apud Græcos nonnisi latinè loquentes. Valer. Max. *lib. 2. c. 2. n. 2.* & tecto capite coram Regibus perorant. Furstenerius *de Supremat. cap. 8.* Quomodo à Statibus Imperii ad Cæsarem ad comitia & conventus circulares missi tractentur, docet Kulpis *de Legat. Stat. Imper.* Magnif. Dn. Praeses in *disfert. de Legat. Princip. Imper.* Anonymus in *Philosoph. Elegant. & Ceremon. aulic.*

§. V. In reditu Legatus Principi oratione aliqua valedicit, Er hat die Abschieds- und Urlaubs audienz & literas credenciales reciprocas das Recreditiv accipit, formulam earum vid. in *Theatr. Europ. part. 8. p. 644.* donis denuò afficitur, Batavis tamen lege interdictum est munera accipere, & jurant, legen ab den Eyd der Sauberkeit / se alienos fore ab omni corruptione, quod observat Gockel. *de majest. legat. jure t. 11.* Ipsi tamen Batavi aliis munera offerunt. Porro Legatus ab are alieno se liberat & peractâ Legatione Principali omnem rem gestam enarrat.

SECTIO V.  
DE  
JURIBUS ET PRIVILEGIIS  
LEGATORUM PRIMI ORDINIS.

SUMMARIA.

I. Duo hic inprimis quaesita de legatis occurrunt. II. An semper admittendi. III. Eorum inviolabilitas & an injuria ab ipsis illata vindicari possit. IV. Quinam sub definitione Drexelii comprehendantur. V. in quibus Legatis vindicationi injuriarum locus sit. VI. An Legati respectu tertii semper sancti & inviolabiles sint. VII. Eorum habitatio & domestici quoque violari nequeunt. IIX. Quod & ad res earum mobiles extenditur.

§. I.

De solennibus hujus legationis supra multa dicta sunt, quae huc referri & privilegiorum loco censi possunt. Hic duo de legatis inprimis quaesita occurrunt: Primum, an semper admittendi; Secundum, an per omnia sint inviolabiles.

§. II. Certè legatum admittere juris Gentium est, & qui id denegat legato, peccat contra illud. Unde Hammonis apud Livium effatum: *Legatos à Sociis pro Sociis venientes bonus Imperator noster non admittit: Jus Gentium sustulit.* Grot. lib. 2. c. 18. §. 3. Quod tamen absolute verum non est, rationes ipse Grotius d. l. affert, quare tutò rejici queant. vid. Huberus de jur. Civit. lib. 3. c. 8. §. 3.

§. III. Alterum Legatis fere peculiare est, quod sint inviolabiles. Quod consensu Gentium & praeceptis civilibus confirmatur. In historiis nil occurrit frequentius, quam sacra legationis, fas Gentium. Cic. *Verrina III. Legationis nomen san-*



sanctum esse debet, ut non modo inter sociorum jura, sed & hostium tela incolume versetur. Alexandri M. legati à Tyriis contra jus Gentium occisi dicuntur. vid. Curtius lib. IV. c. 2. §. 5. Leges civiles quoque eos sanctos volunt vid. l. 8. ff. de R. D. l. 17. ff. de legation. An verò in infinitum sint inviolabiles, difficilior est quæstio. Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 18. §. 3. num. 5. putat, quod, si tale sit crimen, quod contemni posse videatur, aut simulandum sit, aut legatus finibus jubendus excedere: sin crimen sit atrox & ad publicum malum spectans, remittendus, ut eum Dominus puniat aut dedat. Cui assentit Huberus de jure civit. lib. 3. c. 8. §. 4. & Wicquefort de l'ambasfad. lib. 1. sect. 27. Quamvis autem hi censeant se habere illustria judicia, quorum unum Livii, alterum Salsustii Grotius adducit, nil tamen verat hic contrarium fovere cum B. Zieglero i. de juribus majest. 32. n. 17. & in Commentar. ad Grot. d. J. B. & P. lib. 2. cap. 18. §. 1. n. 5. Nam si legati statum & dignitatem Principis, ad quem missi sunt, lædunt, subditos ad defectionem sollicitant, sicarios subornant aut venendò nocent, morti eos tradi posse, non est, quod dubitemus. Ita quoque juris esse in Anglia, patet ex Theat. Europ. part. 7. p. 663. Idem accidit Moschorum legatis missis ad Stephanum Razin, qui ob denegatum sibi titulum debitum saxi eorum collis alligatis eos tanquam canes in aquam projici immergique jussit Egregiusque locus est apud Procop. lib. 1. belli Goth. Nam hominem, inquit, occidere, qui legatione fruitur tunc quidem pro humanis legibus licet, cum Regem videbitur contumelia afficere. Nec obstat, quod legatus omnia mandato Domini agat & velle non credatur, qui obsequitur imperio Domini l. 4. ff. de R. I. In flagitiis enim ut nullum superioris est imperium, sic in inferioribus nulla parendi necessitas aut sceleris mandati executio l. 21. §. 1. ff. de act. rer. amot. l. 20. ff. de

Ob-

*Oblig. & Act.* & qui obsequitur imperio Domini, cum ad id non cogeretur, velle creditur. vid. Jacob. Gothofred. *ad d. l. 4. de R. I.* Certè qui facinoribus & malis artibus inclarescere apud exteros cupiunt, indigni sunt jure Gentium. Cujus generis hodiè in aulis multi versantur qui non tam legati, quam ehrsliche Spion aliàs rectè dicuntur, quibus & illa competit Drexelii definitio in *Pbaethon. de mendac. c. 37.* quod legatus sit vir bonus peregre missus ad mentiendum & decipiendum Reipubl. causà.

§. IV. Sub definitione hac Drexelii non comprehendimus perpetuos illos Legatos, qui continuò in loco aliquo persistunt, observant consilia & actiones ipsius status & Principi suo renunciant, quæ ipsi nocumento esse possunt, ut juxta ea consilia sua componat. Hi enim hunc in finem mittuntur, ut arcana status scrutentur, modò id fiat mediis licitis, & tum nulla animadversione digni sunt, qui etiam hodie ex consensu Gentium in Aulis admittuntur. Ziegler. *in Comment. ad Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 18. §. 3. & Kulpis de Legation. stat. Imper. c. 2. §. 14.*

§. V. Maximè autem illa injuriarum vindicatio, de qua supra §. 3. dictum, in illorum Principum Legatis procedit, à quibus justitiam consequi desperes. Sæpius pro ratione status & ut bellum evitetur, Legatos enormiter delinquentes, quamvis delicta statum Reipubl. labefactent & in ejus perniciem tendant, remittere aut leviora delicta dissimulare consultius est, præcipuè si Legati sint potentioris alicujus Principis. Quid si ille, qui misit Legatos nostros, antea malè excepit, an & tum jus talionis locum invenit? Huberus *de Jure Civit. l. 3. c. 8. §. 5.* distingvit, an per injuriam sint malè habiti, an verò ex merito: si prius, nullo modò scelus hostium imitandum dicit: Sin posterius, nil obesse, quò minus in ipsos idem jus statuatur. Ast vereor, ne hæc assertio ipsius hypothesi

thesi dict. loc. §. 4. allata repugnet. Juxta eum quippe Injuria à Legato etiam Reipubl. illata vindicari nunquam potest, sed Legatus Domino remittendus erit, quomodo igitur ex merito malè haberi possit, non video. Sequor itaque hoc in passu Arumæum ad *A.B. disc. 1. th. 21. p. 41.* Qui jus talionis in legatos Principi, si aliter ipsi satisfieri nequit, concedit. Et exemplum Scipionis Africani, quod Grotius de *J. B. & P. l. 2. c. 18. §. 7.* adducit, ubi tali in casu legatis Scipio ille peperit, minimè ad jus referri posse censemus. Interim legatus patienter ferat quod mutari non potest.

§. VI. Hanc obligationem de non violandis legatis Doctores tantùm inter mittentes & eos, ad quos mittuntur, obtinere volunt, ad tertium non restringunt, adeo ut hic contra jus Gentium non peccet, quando Legatos delinquentes malè tractat aut planè ad mortem eos rapit. Huberus de *Jure Civ. libr. 3. c. 8. §. 10.* quod tamen de quibusvis delictis vix affirmes, in primis, si territorium intrent muniti literis salvi conductus Legatis debitis, ibique nil machinentur, quod Rempubl. directò lædat. Illi ex adverso Legati, qui in itinere characterem suum celant & ut privatos se gerunt, si quid commiserint graviori pœna dignum, ultimo supplicio jure afficiuntur, quod accidit Francisci I. Regis Gallia Legatis per Italiam ad Turcas euntibus, de quorum morte Francisco conquerenti & ea propter bellum intentanti Carolus V. Imperator respondit: Illos Legatos non transisse per Italiam tanquam Legatos cum comitatu & more solito, sed ut proditores Reipubl. Wicquefort. de *l'ambasfad. l. 1. Sect. 29.* Quidam & illud Legato pro privilegio datum reputant, quod provocatus ad duellum sine læsione famæ illud recusare possit. Si enim comparet, exiit characterem & privati conditionem in præjudicium Domini induit, qui eum misit, ut ingenio & consiliis pro salute Reipubl.

publ. labore, non verò armis jus suum defendat. De quo Wicquefort de l'ambassad. l. 1. Sect. 29. similiter inquit: *Il est payé pour servir son maître de son esprit, de sa langue & non de son epee.*

§. VII. Non autem Legati tantum inviolabiles habentur, sed & illa inviolabilitas ad eorum habitationem, domesticos & res immobiles se extendit. Grotius de Jur. Bell. & P. lib. 2. c. 18. §. 8. Domus igitur Legati secura sit ab omnibus invasionibus, caveat autem Legatus, ne illa sceleratis serviat asyli loco. Scelerati proinde, si eò confugiunt tradantur justitia custodibus, si enim eos dedere legatus recuset, vi eximi possunt. Cui quidem legati se sapius, sed frustra opposuerunt. Principis quippe interest, ne ædes legatorum sub prætextu libertatis omnibus furibus, lenonibus, scortis & nequissimis hominibus refugii loco sint. Pontifex Innocentius XI. Legato Gallico hanc libertatem ædium propter ab usum rectè denegavit, banni fulmine legis suæ violatores damnans. Nec Gallum juvat, quod pro ejus defensione adducitur se in diuturna possessione fundari. vid. Wicquefort. de l'ambassad. libr. 1. Sect. 28. Nemo tamen Legatum impedire debet, quò minus Religionem, quam profitetur, etiam prohibitam in illo territorio, exerceat, subditis contra illius loci, ut & peregrinis illi exercitio interesse non abs re interdicitur. Quod domesticos ipsius Legati attinet, de privilegio Domini participant, in tantum, ut delinquentes jurisdictioni Legati subsint, quod etiam in Criminalibus procedere arbitramur. vid. Illust. Strykii. diff. de jure Princip. extra territor. c. 1. §. 4. Zuchæus in solut. qu. de Legati delinquentis judice Compct. Gallicum Legatum ministrum, qui filiam suam vitia vit, pœna patibuli affecisse recenset Anonymus in Philosoph. Elegant. & Cerem. aulic. p. 127.

§. VIII. Res Legatorum mobiles privilegio aliquo fru-

fruuntur, quæ à creditoribus pignoris causa capi aut ad solutionem debiti detineri nequeunt. Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c. 18. §. 9.* Nec conveniuntur de his, quæ ante legationem contraxerunt debita, cum habeant privilegium revocandi domum suam *l. 2. §. 3. ff. de judic.* A tributis & aliis oneribus hæ res æque ac legatorum personæ immunes sunt, quod tamen in quibusdam locis aliter obtinet. Wicquefort. *de l'ambassad. l. 1. Sect. 28. sub. fin.* Ratione immobilium, si possident ea, ubi degunt, contribuere tenentur. *l. 6. §. ult. ff. de muner. & honor.*

## SECTIO VI & ULTIMA.

### DE HIS, QUÆ SOLVUNT HANC LEGATIONEM.

#### SVMMARIA.

*I. Solvitur hæc Legatio morte. II. An hoc procedat omnimodo & an mortuo principe novus Legatus mittentus. III. Advocatio Principalis hanc Legationem quoque finit, sine qua Legatus non potest abire. IV. Quod tamen patitur limicationes. V. Interdum armata manu Legatus territorio expellitur. VI. Si bellum incipit, Legatus quoque decedit & quid tunc observandam? VII. Finitio negotii cessat Legatio.*

#### §. I.

**M**ors, quæ omnia solvit, huic Legationi quoque finem imponit, sive sit ipsius mittentis, sive ejus, ad quem mittitur Legatus, non obstante, quod Respubl. nunquam moriatur.

riatur, persona imperante licet destituatur; quin & ipsius Legati obitu Legatio cessat.

§. II. Hoc quoad Principem ad quem & à quo procedit omnimodo, morte autem unius Legati, si alii in subsidium dati, durat hæc legatio. Quid si morte Principis ad quem, legatio sit finita, an planè novus Legatus mittendus? Possè priorem Legatum legatione sua defungi, verisimile est, modò ipsi aliud Mandatum aliæque literæ credentiales à suo Principali mittantur. Sic Selim Imperator Turcicus recusavit audire Maximiliani II. Legatum post mortem Patris Solimanni, cujus ille Successor erat, ex ea ratione, quia legatio non ad se, sed ad Solimannum defunctum fuisset directæ, exigens à Legato alias literas credentiales. Wicquefort *de l'ambassad. l. 1. sect. 30.*

§. III. Sæpius autem mittens legatum suum, antequam legatio finita est, avocatur, quod ratio status nonnunquam jubet, quando apparet, ea Legatum longa consuetudine, amicorum, quos sibi conciliavit, illecebris capi, ita, ut ab utilitate Domini facile abstrahatur, interdum ipsius opera alibi majus affert emolumentum. Ordinarii verò Legati plerumque triennium uno in loco commorantur. Wicquefort *de l'ambassad. l. 1. sect. 30.* Aliàs Legatus sine avocatione Domini non rectè revertitur, maxime, si nullum periculum Domini imminet. Legato Regis Galliæ ad Helvetios misso, qui sine permissione Regis munus suum deseruit, ita respondisse consilium, refert Wicquefort *dict. loc. Qu' un Ambassadeur, qui quittoit son employ, n' estoit pas moins criminel, q' une sentinelle, qui quitte son poste.* Venetorum Legatus tenetur expectare successorem, ante si decedit, quam ille accessit, ut desertor punitur, ex quo magna hujus Reipubl. elucet prudentia.

§. IV.

§. IV. Quod autem diximus Legato non licitum esse pro lubitu sine permissione Domini à legatione desistere, suas patitur restrictiones. Si enim honor ipsi debitus denegatur, ipsius persona contumelia afficitur & sic per consequentiam ipse Principalis læditur, sine avocatione impune decedit cum protestatione, sed ad animum revocasse factam sibi injuriam. Non rarò quoque accidit, quòd Princeps ob negotiationes odii plenas, quas Legatus suscepit, verbis & factis contestetur, præsentiam Legati ipsi haud gratam esse, neque se eam posse ulterius fere, quid tum consilii? Optimum erit ut Legatus permaneat petatque ut principali suo hoc prius significetur, ut avocatio fiat per mandatum ipsius Principalis. vid. Wicquefort *l. 1. sect. 30.*

§. V. Legatus, qui dignitatem Principis ad quem dishonestat, vi armata quandoque, si nolit, jubetur exire territorio. Cavendum autem hic, ne modus excedatur posthabitis æquiritatis regulis. Tempore Matthiæ Corvini Regis Hungariæ Walachiæ Princeps excepit Turcicos Legatos, quibus, cum in audientia caput nudare abnuerent, pileos ferreis clavis capiti affigere juslit, quò firmius hærent. Mitius egit Rex Galliæ cum Ferdinandi Catholici Legato, Antonio Fonsæca, quem, cum Pacis instrumentum inter hos Reges compositum in conspectu Ferdinandi manibus dilaceraret, Regno tantùm ejecit incolumem. Culpà igitur suà ferant Legati, si nimis duriter tractentur, quando tam arroganter & turpiter se dederint, quò sapius ipsi negotiationi felicem finem frustrantur cum dedecore ipsius Principalis. Ita quoque Friderici Holsariæ Ducis Legatio ad Persarum Regem eventu fortunato caruit imprudentia unius Legati, qui in Aula Persica multa rusticitatis & insolentiæ edidit specimina, ut ipse Schach in hæc verba eruperit: Amplius non video, quomodo securitati meæ consulatur

præsentibus Germanis Legatis, aut ego deseram Residentiam meam, aut illi aula excant, opus est.

§. VI. Obortis hostilitatibus inter Principes legatio quoque finitur, ne Legatus arcana scrutetur & literis suis ad Dominum missis Reipubl. noceat. Nam post belli declarationem Legatus Principis, qui hostis est, hostis quoque evadit illius Principis, ad quem missus est, nec pristina fruitur securitate, nisi quod ipsi tantum tempus concedendum, quod sufficit ad repetendos territorii fines. Exempla adducit Gockel. *de majest. Legat. jure thes.* 38. Ubi etiam ex Theat. Europ. Cæsareum decretum, quo Plenipotentarius Gallicus, Robertus de Gravelle Anno 1674. die 19. April. Ratisbona exire cogebatur, integris verbis subnectit.

§. VII. Finito negotio commissio & legatio suum fortitur finem, quod in Legatis extraordinariis imprimis valet. Observandum præterea, quod interdum ministro secundi ordinis detur character Legati primi ordinis ad unum tantum diem, ut in actu aliquo solenni Principem repræsentet, quod finito minister characterem suum iterum amittit. Rex Angliæ ordine auræ prerisclididis Henricum Nassoviæ Principem ornaturus Residenti suo tum temporis in fœderato Belgio degenti characterem Legati primi ordinis dedit, ut solennibus interesset, quibus finitis, Legatus ille primi ordinis suæ legationis quoque sentiebat finem.

Wicquefort *l. 1. Sect. 30.*

SOLI DEO GLORIA!

CO-





COROLLARIA.

1.

**J**us naturæ & Gentium malè quidam confundunt.

2.

Fœdera possumus inire cum infidelibus.

3.

Fœdera ob utilitatem Reipublice licet frangere.

4.

Q. An Procurator universalis idem possit quod procurator cum libera?

5.

Q. Quousque libellus mutari possit?

6. In-

7.

Interdum melius est eligere iudicium petitorium, quam possessorium.

8.

Q. An concubina sit uxor iure Civili?

9.

Vasallus vix evitat feloniam, si alienet feudum salvo jure Domini.

10.

Q. An Vasallus Domino possit assistere contra Cæsarem?

11.


Capitulatio non derogat majestati Imperatoris.












99 A 6922

VD 17


SB

ULB Halle 3  
002 628 589









74

C. D.  
DE  
**LEGATIS  
PRIMI ORDINIS**

Von  
**Gesanten des Ersten Rangs!**

*Autoritate*  
MAGNIFICÆ FACVLTATIS IVRIDICÆ,  
PRÆSIDE

**PETRO MÜLLERO, Jcto,**

Confiliario Saxonico, Codicis, Juris Publici & Feudalium  
Professore Ordinario, Curia Provincialis & Collegiorum  
Juridicorum Assesore,

**PRO LICENTIA**

*Summum in Utroque Jure Gradum*

Dignitates ac privilegia Doctoralia  
consequendi

**IN JCTORVM AUDITORIO**

*horis ante & pomeridianis*

D. 12. Febr. 1692.

*disputabit*

**TOBIAS SVTORIVS,**

Römhilda-Francus,

Illustri Regimini Saxo-Hilperhusani Advocatus  
Ordinarius designatus.

—  
IENÆ, Typis PAULI EHRICHII. 1711.